

enim temerè de hominis innocētis corio ludendū, & præparationis vel inscitiæ vel incuria in periculum vel vitæ, vel dilatæ sanitatis præcipitandus est æger.

Quantumuis ergo non diffiteatur Hieron.

Mercurialis, medicus Polyhystor,

vsu communi Pharmacopœis relinqui

componendorū medicamētorum arti-

ficiū: ingenuè tamen veteres medicos

cōmendat, qui proprijs manibus, Hip-

pocratis & Galeni exemplo, ne defrau-

darent humanū genus, hoc ipsum domi-

suæ præstiterint. Est ergo primaria Chy-

mix, seu præparandorum remediōrum

efficiens caussa Medicus. Huic subser-

uiunt plures alij, vt iam ex parte audi-

uimus, tum animati, serui, ministri qui-

libet, quos communi voce, quamuis

impropriè, Pharmacopœos appellitāt:

tum inanimata quamplurima, quæ vel

patiēdo, vt vasa & armamenta diuer-

si generis, vel agēdo profunt, vt qui-

uis calor & Ignis, qui generale & com-

mune est plurimarum artium instru-

mentum. Eum vocat magistrum arti-

um Cicero. Idcirco Prometheus apud

Platonem Vulcani & Mineruæ arti-

ficio-

3. de Coma  
posit. Me-  
dic. 1.

Caussa ef-  
ficiens Chy-  
mix secun-  
daria.

Lib. 2. de  
Nat. Deor.  
In Protas-  
gora.